



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Ecclesiastica beneficia appetere & procurare quando licitum sit vel non.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

dia sufficienter tribuere. & non debent isti particula-
res vexari. Lex enim iniusta est ex forma, quæ non
secundum proportionem grauat populum. Si tamen
probata consuetudo obtinuit, vt ligna & paleas mi-
litibus hospites gratis tribuant, non damno: quasi eo-
nim sorte quadam contingit ob hoc quasdam terras
seu villas præ aliis grauari.

*Diebus festis bellum exercere an sit
peccatum.*

Bellum exercere in diebus festis absque necessitate
peccatum est, propter inquietudinem diuertenti-
am à sanctificatione festorum. Non tamen est mor-
tale peccatum, si diuina non omittantur, puta missas:
quia non est opus seruile. Et simile est iudicium de
aliis diebus, quibus prohibitum est à sacris canonibus
præliari: scilicet in aduentu & quadragesima &c. vt in
capitu, Treugas extra de treuga & pace. si tamen iura
hæc subsisterent: nam abrogata per non vsum dicuntur.

*Ecclesiastica beneficia appetere &
procurare quando licitum
sit vel non.*

Beneficium ecclesiasticum considerandum est pri-
mò quò ad ingressum, tam de appetitu, quam de
procuracione. Apertè siquidem Ecclesiasticum bene-
ficium, siue curatum, siue absque cura, nullum ex suo
genere peccatum est: quoniam huiusmodi obiectum
est intra ordinem appetibilem recta ratione: & pro-
pterea Apostolus absolutè dixit: Qui Episcopatum
desiderat, bonum opus desiderat. Peccatum autè con-
tingit ex defectu alicuius circumstantiæ requisitæ: pu-
ta quis, cur, quomodo &c. Et quoniam frequentissi-
mè secundum primam circumstantiam in huiusmo-
di appetitu peccatur: ideo Apostolus statim subdit de

circumstantia quis, apponendo conditiones requisitas ex parte personæ ad rectum appetitum episcopatus, dicens: Oporteret autem Episcopum esse ineprehensibilem &c. Et quoniam peccata ex parte circumstantiarum facile parere possunt applicanti ad substantiam materiam: nos ad specialia descendendo dicimus, quod beneficium plenè curatum (quale est Episcopatus) tunc tantum ex parte personæ licitè appetitur, quando appetens nouit se habere conditiones requisitas ad Episcopum: & similiter non plenè curatum (quale parochia est) quum quis habet conditiones requisitas ad presbyterū parochialem: & sic de aliis. Et hoc concurrentibus etiam ex parte personæ aliis circumstantiis comparatiuis debitis. Vbi scito, quod persona appetens debet seipsam mensurare per respectum ad tria, scilicet ad regimen animarum, ne præsumptuosè ad artem artium relatum se inueniat, & ad oues quibus pascendis vacaturus est, vt tantum distet vita sua ab illis, quantum vita pastoris à grege: & ad alios quibus tribui potest aut debet tale beneficium ne se dignioribus aut æquè dignis anteponat. Et hic tertius respectus habet locum etiam in appetitu beneficiorum sine cura. debet enim secundum rectam rationem appetitum sic moderari, vt absque vitio acceptionis personarum appetat sibi prouideri de beneficio in communi vel hoc. De circumstantia quoque finis, aduertendum est, ne beneficium appetatur propter finem malum: puta delicatam & opulentā aut splendidā vitā ex Christi patrimonio &c. & sic de aliis circumstantiis. Discernere autē inter peccatū mortale & veniale in deordinato appetitu beneficium: non est difficile, præsertim si beneficium est curatum, & maxime si est perfectè curatum: nam si appetens paruifaciat commensurare seipsum ad artem artium (hoc est curam animarum) & alias commensurationes postponit

ob appetitum beneficii, proculdubio mortale peccatum incurritur: quia contra charitatē omnium Christi appetitur si beneficiū est curatum; & cōtra iustitiam distributiā saltem appetitur, si beneficiū non est curatū. Intellige lector quæ dico: nam si quis appetit simplici intentione beneficiū communiter aut sine cura, non cogitans de dignioribus se, non peccat: quia subintelligitur, quod appetat habere licitè, in hoc aut quod est habere licitè, includitur quod detur sibi sine Dei offensa. Et similiter si quis cogitat de dignioribus se, & non intendit illos impedire, sed pro se ipso procurare ut habeat licitè, non peccat eadem ratione, potest enim contingere ut superior sanctè det illi quā minus dignus videtur, & est absolute propter aliquas circumstantias singulares tunc occurrentes, efficientes ut dignior pro nunc postponendus sit.

Beneficiū autem quodcumque pro se petere aut procurare, eiusdem moris est, cuius est appetere illud. Et propterea quando appetere est damnabile, petere quoque, damnabile est. Eget tamen aliqua circumstantia petere, qua non eget appetere: quia est actus exterior qui potest scandalizare, & propterea eget maiori rectitudine. Et scias, quod à doctoribus petere regimen animarum ideo damnatur: quia vix possibile est ut homo integri sensus & rectæ mentis, reputet se ipsum habere supradictos tres respectus personales: sine quibus petere simpliciter & absolute, est presumptuosum, ac per hoc indignū reddit petentem. Dico autem simpliciter & absolute: quia tam appetere quā petere secundum quid (hoc est si superiori videtur expediens, cognoscendo se indignum, cum tremore cōmittendo negotium Deo, pro honore Dei, & salute Ecclesiæ) non est perniciosum, quamuis sit veniale, nisi charitas moueat: quoniam hoc non est petere: sed offerre sic opus est. Et si charitas vere mouet, meritorium

est: sicut Esaias, Ecce ego, mitte me: & Martinus, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Memento quoque non versari in magno periculo, qui indigens & idoneus cum tremore &c. se offert: petendo secundum quid beneficium vacans cum cura animarum imperfecte, puta parochiam: quia cura animarum proprie & plene solius Episcopi est. In cuius signum & solus sponsus est ecclesiae, & non potest Ecclesiam deserere eundo ad religionem. Reliqui enim sunt adiutores Episcopi ad curam animarum. Contingit autem (& utinam non saepe) appetentibus & petentibus beneficia, procuratio simoniaca per manus à lingua vel ab obsequio: de quibus inferius patebit, quam de simonia dicitur. Beneficium ecclesiasticum secundò considerandum quò ad progressum est, & quantum ad seruitium personale, & quantum ad prouentus. In beneficio siquidem de iure requirente residentiam, peccatum est siue rationabili causa non residere. Et si beneficium est curatum, non residere absque rationabili causa, peccatum communiter mortale est: pro quò damnum infert animarum: nisi propter imperfectionem actus excusetur à mortali: infert enim contrarium naturali iustitiae qua tenetur ipsemet ex suscepto officio gerere cuius Christi curam, quae regulariter sine residentia non potest haberi ut debet, quam etiam praesentes & solcite studentes circa animas, vix regnant ut tenentur. Iniustitia enim ex suo genere mortale peccatum est, quamuis propter imperfectionem actus sit quandoque venialis. Est etiam còtra debitam charitatem Christo. Nam amor eius non est apud eum, qui parvipendit quae maxima sunt Christi: salutem scilicet animarum sibi commissarum. Etenim experiètia testatur, quàm male se habeant in spiritualibus & in temporalibus Ecclesiae Christianae propter absentiam
 pastorum.

pastorum. Antiquum prouerbiū est, tam quod oculus domini impingat equum, quàm optimū sin um vestigia Domini. Excusare tamen potest absentiam sine rationabili causa à mortali imperfectio actus, vel propter paruitatem temporis, vel propter paruitatem damni: & si quid est huiusmodi, peccatum quoq; est; beneficii Ecclesiastici prouentus malè expendere, vtpatet. Mortale autem est, si eo quod superfluit necessitati naturæ & personæ, mala dispensatoris fide abutitur: vt si inde ditat propinquos, aut in pompis & luxibus exponit: & alia huiusmodi exorbitantia & enormia facit: quia non Dominus, sed dispensator est ecclesiasticorum prouentuum, & debet primò sui, deinde Ecclesiæ, & propinquorum, & in aliorum indigentium curam gerere: non vt diuites alii fiant, sed ne indigeant. Beneficium Ecclesiasticum tertio, quoad multiplicationem considerandum est, quando est peccatum, & quantum: Ad quod discernendum nosse oportet, quòd multiplicare in vno beneficia, non est ex suo genere peccatum. quia si esset ex se peccatum, nulla vnquam ratione liceret habere plura beneficia. Neque est ex suo genere bonum aut indifferens mortaliter: quia sonat quandam dissonantiam, scilicet plura stipendia dari vni. Regulare quippe est, vt vnum vni detur. Sed est de genere nociuū, quæ ex adiuncta ratione possunt honestari, sicut percute re hominem, quod nec ex se peccatum, nec bonum, nec indifferens mortaliter est, sed sonat malum hominis quod potest ex adiuncta iustitia propter bonum publicum &c. honestari. Accipere siquidē plura beneficia, sonat quid nociuū Ecclesiæ, & diminuendo ministros cultus diuini, & occupando quod multorum deberet esse, & animarum quandoque curam debitam impediendo: hæc enim nocumenta constat ex pluralitate beneficiorum inferri sanctæ Ecclesiæ.

Posset tamen talis necessitas aut ratio superuenire, quæ aut tolleret huiusmodi nocumenta, aut efficeret non esse inconuenientia: & sic redderet pluralitatem beneficiorum licitam: Et hæc ratio maximè ex parte Ecclesiarum pensanda est: non enim propter bonum personæ, sed propter bonum Ecclesiarum tolluntur huiusmodi inconuenientia.

Mortale autem peccatum in huiusmodi pluralitate interuenit, quando non propter rationabilem causam obrinet quis multa beneficia incompatibilia: & vnus quidem occupat loca multorum: alii autem esuriunt, &c. quia huiusmodi pluralitas est iniusta contra æqualitatem iustitiæ distributiue: Nec excusatur peccatum mortale propter dispensationem papæ sine rationabili causa: quoniam dispensatio papæ cadit super ius positium, & non super ius diuinum aut mortale: pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa, est contra ius diuinum, & mortale, quo communio Ecclesiæ bona distribui iuste debent partibus Ecclesiæ. Nec obstat, quòd beneficiola plura dicuntur licitè dari vni: quoniam in omni genere propter imperfectionem actus minima excusantur. Beneficium siquidem adeò tenue quòd non sufficit ad sustentandum ministrum, nõ est beneficium nisi imperfectè: quoniam non potest sana ratione institui, vt vnum sit in vnius stipendium. Et propterea de his minimis fit vt melius fieri potest, quousque minister habeat sufficienter vnde viuat: quoniam propter ministros sunt beneficia, & non econtra.

Siste tamen hic confessor pedem, circa iudicium illius qui iam cum dispensatione sine rationabili tamen causa habuit & possedit plura incompatibilia, ne præceptis neges absolutionem: oportet enim discernere, an iste teneatur de necessitate salutis renuntiare reliqua reseruato sibi vno, quod non facile est quan-

do

do beneficii bene prouidetur per vicarios.

Vbi scito, duo esse in hoc potissimum pensanda. Primum est damnum ecclesiarum. Secundum est inæqualitas distributorum beneficiorum. Et quidem damnum Ecclesiarum quatum ad temporalia, & reparationem opportunā, siue templi, siue paramentorū, &c. & numerum ministrorum diuini cultus, & ipsum diuinum cultum, & ministracionem sacramentorū, facile cognosci potest: quoniam hæc subiaccēt sensibus. Sed quantum ad curā animarum, si beneficia sunt curata, oportet hominē non seipsum fallere: quia quū iste det operam rei illicitæ, scilicet cōseruationi pluriū incompatibiliū absq; rationabili causa, non excusatur ex illa causa illicita à residēdo, ad vacandū curæ animarū: ac per hoc sibi imputatur coram Deo etiā leuis culpa in damno animarum. Et propterea etsi possibile est, difficile tamen ac ratū videtur, quod absq; notabili dāno ecclesiarū huiusmodi pluralitas contineatur. Et quando sic accidit, negāda esset absolutio: quoniam notabilis damni Ecclesie cōseruatio voluntaria, absq; rationabili causa, nō est absq; peccato mortali. Ex parte autem iniquæ distributionis aduertendum est, quod nō est idē iudicium de distributione quando fit & post factum. nam quando fit, clarum est iniuriam fieri dignioribus qui postponuntur, & peccatū Iniustitiæ distributiæ committi. Postquā autem distributio licet mala facta est, & Episcopatus datus est minus digno, nō periclitatur amplius distributio, sed res distributa, putā episcopatus. In cuius signum constat non teneri istum minus dignum ad renuntiandum Episcopatum: sed ad bene regendum, &c.

Ex hoc autem quod non ad distributionem, sed ad beneficia distributa spectandum est post factum, pensanda veniūt tria. Primò, damnū Ecclesiarū quas habet, de quo dāno iam diximus. Secundò damnum clericorū

clericorū

44 Multiplic. Benefi.

clericorum bene mentorum in illis partibus ubi sunt hæc beneficia: qui deberent ex his beneficiis & honorari & pauci. Tertio, scandalum bonorum virorum qui vident huiusmodi exorbitantes distributiones cōseruari ab his qui in formam gregis Christiani dati sunt. inde enim alii similia audent: & sic in præcepit ecclesia Christi. Et propterea qui hæc parvipendit, quia sic communiter à tot fit, & quia fortè papa dissipando dispensauit, non esset absoluendus: vt absque alia probatione clarè patet. Qui verò hæc æstimat, prouideat opere & veritate, vt hæc mala non sint: alioquin tepidus est & euomendus.

Beneficia Ecclesiastica semper sunt dignioribus et magis sufficientibus conferenda:

Beneficium demum Ecclesiasticum, nō solū idoneo & digno, sed etiam ita vt dignior non postponatur, conferri debet secundum Deum & cōscientiam, quamuis secundū iura sufficiat eligere dignum. Et ratio est, quia vitium acceptionis est personarum postponere digniorem nunc hic, & secundum ceteras circumstantias. Et hoc intellige, quando collator liberè habet in sua potestate prouisionem, nam ubi sola cōfirmatio electi aut præsentati à patrono spectat ad eum, sufficit quòd detur digno: quoniam ex hoc ipso quòd electus aut præsentatus est, tanquam dignior habetur. Et similiter quum renuntietur beneficium in fauorem alicuius, si fficit collatori quòd ille sit dignus: quoniā æquitas præfert aliis illum tunc pro sic vacante beneficio. In cuius signū nullus conuenitur, quando per viam renuntiationis digno confertur beneficium, quantumcunque digniori conferendum fuisset, si alia via vacasset. Et hæc omnia intellige de beneficio formaliter; hoc est, quatenus est beneficium